

Cat alogus Dissertationum Volumine hoc
comprehensorum.

1. De prudentia in disquisitione exhortacionis dicti Iohannii i Joh. §. 7.
Auct. Car. Gottlob. Hoffmanno. Vitt. 1766.
2. Pretas Cornelii Centurionis Cesariensis antequam ad eum mitteretur regis
trus Act. X. 2 Auct. Ioh. Fecht. Reg. 1761.
3. Observationses Exegetico Critica et miscelle super 2 Tim III et IV.
Auct. Ioh. Falck. Semler. Altonf. 1763
4. Progr. Sc. utilitatibus ex doct. Theologiae redundant. Auct. Christ.
Timoth. Seidelic Helmst.
5. De duratione Porutorum Auct. Christ. Frid Samario. Tab. 1756.
6. De Vocacione Ministrorum Ecclesiasticorum Divina Causa ibid 1757.
7. Prog. Cur pauci sint boni sedularu Rectores. Auct. Iohann.
8. Christide Semler Lipsie ad 1747.
9. De recto et genuino ipsi argumentorum fidem humanam facien-
tium, in probanda ~~Lia~~na origine s. Litterarum. Ioh. Georg.
Knapp. Halle 1757.
10. Quare dico tibi remissa sunt peccata eius multa, quia etc. Luc. VII. 47.
Auct. Christoph. Matthaeo Pfaffio. Tubingae 1745
11. De omnisciencia dei in fratu Elici. Auct. Baumgarte, Halle 1756.
12. De luctis Elici ad Iorananum Reger Budor in Calis scriptis et other
xxi x. 12 auct. Christoph. Matth. Pfaffio 1755
13. Explicatio loci difficultioris Joh. X. 33-38. auct. Baumg. 1735 Halle
14. de fratu animarus separata. auct. Ioh. Hale 1754.
15. De Iuda sacra Coena coniuncta auct. Ioh. Hale 1744.
16. De redembione Ecclesie proprio s. i sanguine facta act. XI, 26. auct
Costa Tab. 1753.
17. De reliquis Gentilium in opinionibus de morte auct. Grifio
1756 Lipsie Comentatio prior

16

DISSERTATIO THEOLOGICA PRIOR
DE
REDEMPTIONE
ECCLESIAE
PROPRIO DEI SANGUINE
FACTA

ad Act. XX. 28.

QUAM
P R A E S I D E

IO. FRIDERICO COTTA

S. THEOL. DOCTORE AC PROFESS.
PUBL. ORD. ILLISTRIS STIPENDII THEOL.
SUPERATTENDENTE
ORDINIS THEOLOGICI
h. t. DECANO

D. AUG. MDCCLIII.

publice defendent

M. IO. CHRISTOPHORUS SCHÜZ, Bempflingenensis,
M. LUDOV. FRIDERICUS HOLLAND, Rosenfeldensis,
M. IO. CHRISTOPH. HENRICUS RUEFF, Alpirspacensis,
SS. Theol. in Seminario Theol. Cultores.

TUBINGÆ, typis CHRISTIANI GODOFREDI COTTÆ.



DISSE^RTATO THEOLOGICY LIBRARIY
REDEMPTIONE
REGESTA
PROPRIO DEI SANGUINE
THEOLOGIA
PRAESIDIA
GRANDE

IO FRIDERICO COTTA
2. THEOLOGIACAL PROFESSION
THEOLOGIAL INSTRUMENTS OF PROFESSION
THEATRUM LIBRARIAE COTTENSIS
ORDINARIS THEOLOGICAL
4. DECANO

5. A. MICHAEL AVOCETUS
6. DOMINICUS SPESCHAUER
7. IO. CHRISTIANUS HORNUS SCHMIDUS
WILHELMUS FRIBERGUS HORNUS ROLINGENUS
WILHELMUS IO. CHRISTIANUS HORNUS ALBICORVUS
22. THEOLOGIAL LIBRARIAE COTTENSIS

LIBRARIAE COTTENSIS



S. L

Jam inde ab aliquot annis observationes sacras ad oraculum Paulinum, quod *Act. XX. 28.* elatum exstat, in lucem publicam edere coepimus, quibus non tantum in genuinum oraculi huius longe gravissimi sensum inquisivimus, sed & nonnulla exinde deduximus consectaria dogmatica, brevi commentatione a nobis illustrata. Luculenta hoc ipso specimine commonstravimus ratione, qui, quales, quanti, vel in hac sola oraculi divini particula, thesauri sint absconditi, a sacrarum litterarum scrutatore sedulo investigandi. Nec tamen omnes, quæ in verbis apostoli latent, ac per legitimam consequentiam exinde deduci possunt, veritates in dissertationibus nostris vel pertractavimus, vel indicavimus saltim; sed nonnullas duntaxat, reliquias, quæ exinde erui possunt, & ad officium Christi sacerdotale maxime spētane, in aliam occasionem reservatis. Telam itaque cœptam iam perteximus, nostrique, quod olim dedimus, promissi (1) memores, occasione verborum divi apostoli,

A 2

Deum

(1) Vid. *observ. sacr.* ad *Act. XX. 28.* partem alteram absolutam p. 31.

Deum proprio sanguine ecclesiam redemisse pronunciantis, de redemptionis opere, quod totius religionis, quæ a Christo nomen dicit, fundamentum constituit (2), pauca in rerum præsentia commentabimur. Adspiret, ita precamur, benignissimum numen nostris qualibuscunque conatibus, faxitque, ut, quæcunque de arduo hocce arguento dicemus, cedant in gloriam redemptoris nostri prorsus incomparabilis, eorumque, qui pretioso ipsius sanguine sunt redempti, æternam salutem!

§. II.

Ut vero ab illustratione oraculi Paulini, quod tractationi nostræ fundamenti loco substernitur, dicendi faciamus initium, ante omnia notamus, ad quatuor momenta, quæ gentium apostolus nobis heic ob oculos ponit, probe attendendum esse: I) ad personam redimentem; II) ad redemptionis obiectum; III) ad modum redemptionis; ac denique IV) ad eiusdem medium. Persona redimens est ipse DEUS. Dicit enim apostolus, DEUM ecclesiam proprio suo sanguine *adquisivisse*.¹⁾ Alibi iam comprobavimus, Dei nomine non Deum patrem, ut SOCINUS, WOLZOGENIUS, aliique in Socinianorum castris militantes locum hunc exponunt; sed secundam deitatis personam, æternum nempe Dei filium heic intelligendum esse (1). Is enim statuto tempore ad humanæ conditionis humilitatem se-

(2) Est enim hicce fidei nostræ articulus, iudice b. LUTHERO, primus ac principalis: *de quo cedere, aut aliquid contra illum largiri, aut permittere, nemo piorum potest; etiam si calum, & terra, ac omnia corruant.* Vid. form. concord. p. m. 304.

(1) Vid. P. Lubf. sacr. ad h. l. p. 27.

sese demisit nostramque induit carnem, ut humani generis fierer redemptor. Is proprium habet sanguinem, particeps factus sanguinis sicut pueri (2). Is, teste divo apostolo (3), proprio sanguine ingressus sacrarium, æternam adeptus est redemptionem. Unde & ~~unus~~ mediator inter Deum hominesque (4) a divino scriptore adpellatur, opusque mediatoris ac redemptoris perfecit secundum utramque naturam; non humanam duntaxat, quæ sanguinem fudit, sed & divinam (5). Adquisitio enim ecclesiæ, quæ est opus mediatoris, a Paulo in textu nostro adscribitur non soli sanguini, seu humanæ Christi naturæ, sed ipsi etiam DEO. DEUS, inquit, adquisivit proprio suo sanguine ecclesiam.

§. III.

Atque hæc ipsa ECCLESIA redemptionis obiectum constituit idque principale, quod obiectum passionis mortisque Christi adequatum, totum nimirum genus humananum, non excludit. Neque enim vox ecclesia heic loci solos electos, ut nonnulli volunt, sed cætum vocatorum, ex bonis & malis, electis & reprobis constantem, denotat. Quam observationem alibi iam a nobis inculcatam ac comprobata (1), eo fine heic repetimus, ut exinde adpareat, ex hoc ipso apostoli loco perperam a nonnullis adstrui, filium Dei pretiosum suo sanguine electos duntaxat redemisse. Certe redemtionem servatoris nostri ad omnes omnino homines spectare, vel exinde elucescit, quoniam dicitur servator omni-

A 3

(2) Ebr. II. 14.

(3) Ebr. IX. 12.

(4) 1 Tim. II. 5.

(5) Conferenda heic sunt, quæ in part. II. eaque absoluta observ. sacr. p. 26, 30, & 32. hanc in rem diximus.

(1) Vid. obs. sacr. P. I. p. 26. & P. II. absolutam p. 54.

unum hominum (2) itemque agnus Dei, mundi peccata ferens (3), immo ~~agnus~~ prototius mundi peccatis (4). Ut alia scripturæ testimonia huc spectantia in verum præsentia taceamus.

S. IV.

Ad modum redēptionis quod attinet, is in orāculo Paulino exprimitur verbo ~~reparandum~~, quo & alias in describendo hoc ipso redēptionis opere utitur scriptura sanctior (1). Significat hæc vox comparare, adquirere, redimere, sibi vindicare (2), ac subinde in sensu *improprio* ac metaphorico de quacunque redēptione, etiam illa, quæ fit nullo interveniente pretio in sanctioribus litteris usurpatum (3). In isto vero, quem præ oculis habemus, loco, ubi de adquisitione ecclesiæ proprio Dei sanguine facta, agitur, sumitur in sensu *proprio*, atque eiusmodi adquisitionem, seu liberacionem, quæ interventu *veri pretii* (4) pro nobis soluti facta est, seu pretiosam ecclesiæ e servitute spirituali in libertatem

(2) 1 Tim. IV. 10.

(3) Job. I. 29.

(4) 1 Job. II. 2.

(1) Vid. Eph. I. 14. 1 Thess. V. 9.

(2) Vid. quæ de significatu huius vocis part. I. observ. sacr. p. 31. sqq. diximus.

(3) Ita patrum in psalmorum libro Deus dicitur redimere animam eorum, quos ab aliquo malo ac periculo liberat, Ps. XXXIV. 23. LV. 19. LXxxII. 4. CIII. 4. CVI. 10. CVII. 2. CXIX. 134. 154. Ita & Deus dicitur redemisse populum suum ex Aegypto Deuter. VII. 8. Ps. LXXVII. 16. alibique.

(4) Quum vox *pretii* in evolutione huius argumenti sèpius recurrat, paucis notamus, illud *pretii* nomine a nobis vocari, quo aliquid compensatur, sive cuius impendio res aut ius aliquod adquiritur, quod-

tem gratiae vindicationem denotat. Patet exinde, non de acquisitione corporali, sed spirituali, nec de nuda honorum adquisitione, sed de acquisitione, seu redemptione hominum, ex captivitate satanæ liberandorum, sermonem heic institui.

§. V.

Sequitur ipsum redēptionis medium, quod est *proprius Dei sanguis*, sanguis nimirum filii Dei (1), qui eundem personaliter sibi unitum in ara crucis effudit; sanguis filii Dei *proprius*, adeoque sanguini typico sacrificiorum veteris testamenti contradistinctus (2); sanguis *preciosus* Christi, ut agni immaculati ac incontaminati (3), quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ipsius (4). Quod restat, unicum hoc adiūcimus, per sanguinem Iesu Christi, seu eius effusionem, ut in aliis sacrarum litterarum locis, ita & heic ~~avendoxinus~~ intelligi omnia ~~nudissima~~, quæ servator optimus pro nobis & nostri loco subire atque exanthlare haud est dēsignatus. Hinc & phrases *sanguine* Christi redimi, atque eiusdem redimi *passione*, prorsus æquipollent.

Ra-

quodque alteri motiva præbet, aliquem in libertatem adserendi, vel alicui facultatem aliquid habendi agendive concedendi. Ita apud TERENTIUM in *Eunuch.* quid agas? nisi, ne redimas tecum quam queas minimo, si nequeas, paullulo & quanti queas. Ita & VIRGILIUS redēptionis vocem usurpavit, cum dixit:

*Si fratrem Pollux alterna morte redemit, Aen. L. VI. v. 121.
Liberatur scil. Castor a morte perpetua, Virg. intercedente, morte fratris alterna.*

(1) Job. I. 7.

(2) Ebr. IX. 12. 14.

(3) Pet. I. 19.

(4) Rom. III. 25.

Rationes, cur sacra scriptura s^epius *passim* quam *active* Christi obedientiæ faciat mentionem, ac speciatim *sanguini filii Dei* in oraculo Paulino redēptionem nostram adscribat, alibi iam commemoravimus (5).

§. VI.

Præmissis observationibus hisce generalibus, quæ verbis gentium apostoli lucem quandam adfundunt, ad translationem specialem nonnullarum, quæ in arduo hoc de redēptionis opere argumento moveri solent, quæstionum, pedem iam provehimus. Ad tria vero præcipue capita redeunt, quæ in litem heic vocati solent. Primum ad redēptionis *necessitatem*; alterum ad eiusdem *veritatem*; tertium denique ad infinitam pretiū redēptionis pro nobis soluti pertinet *perfectionem*. De singulis hisce momentis pro instituti nostri ratione nonnulla dicemus, operam daturi, ut veritates cœlestes non tantum argumentis partim et textu nostro, partim aliunde petitis, firmiter comprobemus, sed & easdem aduersus ignita satanæ tela vindicemus.

§. VII.

A *necessitate* redēptionis per Christum præstitæ ut dīcendi faciamus initium, ea ex oraculo nostro Paulino opera haud diffīcili comprobari potest. Quumenim divus apostolus ibidem disertis verbis pronunciet, DEUM, i. e. filium DEI unigenitum, *proprio sanguine redēmississe ecclesiam*, adeoque sua morte mortalium expiisse peccata, sponte exinde consequitur, unicam hancce fuisse viam, qua hominum rebus

(5) Vid. ob. sacr. p. l. p. 38.

rebus consuli potuerit. Quod si enim alia suppetuit ratio, homines ex summa ista, qua undique circumsepti erant, miseria liberandi; si vel sola gratia, ut nonnulli obtendunt, totum salvationis opus valuit peragere; si DEUS, sine ullius satisfactionis interventu, peccata nostra remittere, eademque unico flatu veluti nubem disspellere potuit; tum nulla concipi potest ratione, cur Paulus divino spiritu adflatus non tantum in textu nostro, sed & alibi⁽¹⁾, salutem nostram sanguini Jesu Christi, pro peccatis nostris effuso, in solidum adscribat. Addimus & hoc, quod Deus pater non sine crudelitate, quæ a sanctissimo ente quam longissime abest, filium suum unigenitum, in quo omnis eius ^{sudor} reposita erat, acerbissimæ atque ignominiosissimæ morti exposuisset, si aliter redemtionis opus, quam pretioso sanguine ipsius filii Dei perfici potuisset. Argumento huic ab eventu, seu *a posteriori*, ut in scholis loquuntur, desumpto, alia, quæ a scriptoribus systematicis passim adducuntur, facile addi possent, si nostri id pateretur instituti ratio⁽²⁾.

S. VIII.

Illud tamen, antequam ad alia digrediamur, paucis ob-
B serva-

(1) Vid. Rom. III. 24. Ep. I. 7. Coloss. I. 20.

(2) Evolvat, qui pleniorum huius argumenti tractationem legere voluerit, FRANCISCI TURRETINI *inflit. theol. elenct.* P. II. p. 453. seqq. nec non eiusdem tract. de *satisfact. Christi*, part. I. & HERM. WITSII, theologi Lugduno-Batavi *econom. fader. Dei*, lib. II. cap. VIII. p. 213. seqq. Jungi tamen meretur ex nostris theologis b. IO. WOLFFG. LÆGERUS, celeberrimus quondam huius academie cancellarius, in *flst. theol. lib. II.* p. 147.

servamus, de necessitate redēptionis ac satisfaētionis per Christum præstitæ non unam eandemque fuisse veteris ecclæsiae christianæ doctōrum sententiam. Fuerunt equidem nonnulli, qui statuerunt, non aliā genus humanum salvandi DEO superfuisse rationem, nisi eam solam, qua unigenitus de cœlo filius, carne humana indutus, sanguinem suum fundendo, infinitum redēptionis p̄tium præstīt. Inter eos, qui ita senserunt, agmen dicit IRENÆUS (1), Lugdunensium in Gallia antistes, seculo secundo clarus, quem CYRILLUS, BASILIUS, AMBROSIUS, VIGILIUS, FULGENTIUS Rusensis, DOROTHEUS, HONORIUS Augustodunensis, RUPERTUS Tuitiensis aliique sunt secuti. Cumprimis vero hancce sententiam magno conatu propugnandā in se suscepit ANSELMUS Cantuariensis, seculi XI scriptor isque haud incelebris, qui in opere hac inscriptione insignito: *Cur Deus homo?* subtile argumen torum nervos intendit, ut comprobaret, tam necessarium fuisse, hominem fieri Deum, patique pro mortalibus, ut, si hoc factum haud fuisset, non alia inveniri potuisset ratio, eos e peccatorum miseria liberandi. Huius vestigia pressit RICHARDUS DE S. VICTORE, natiōne Scotus, qui post ANSELMUM non longo interiesto temporis spatio floruit librumque composuit de incarnatione verbi, Bernhardo, qui ipsius familiaris fuit, inscriptum (2). In alia tamen omnia abierunt alii ex antiquis christiani cœtus docto-

ri-

(1) libr. II. adversus heret. cap. XX. p. 248. ex edit. ERNEST. GRABII.

... etiam in libro de incarnatione verbi.

(2) Evolyi cumprimis meretur cap. VIII. libri supra excitati de incar-

ginatione.

ribus, qui sane de argumento hocce non semper ita, uti par erat, senserunt atque locuti sunt. Immo nonnulli ex iis eosque sunt progressi, ut adserere haud dubitaverint, potuisse Deum, solo voluntatis suae nutu, solo iussu, citra pretiosum Christi sanguinem, hominibus peccata remittere, eosdemque maledicto solvere. Ipsum ATHANASIUM, praesulem Alexandrinum, fortissima Arianorum oppugnatione inclutum, huic sententiæ calculum adiecisse constat (3). Nec ab eadem alienus fuisse videtur AUGUSTINUS, celeberrimus iste Hippomenium praeful. Is enim disertis verbis pronunciat, *alium modum Deo non defuisse, cuius potestati cuncta aequaliter subjacent; sed sananda nostra miseria convenientiorem modum altum non fuisse, nec esse posse* (4). Adiungendi sunt hisce duumviris CYRILLUS Alexandrinus, THEODORETUS, LEO I. pontifex romanus, cui cognomen *magni* impositum est, IOANNES DAMASCENUS, graecorum & orientalium scriptorum sua ætate princeps, BERNARDUS, Clarævallensis abbas, aliquique quamplurimi, quorum testimonia collegit DIONYSIUS PETAVIUS, theologus Parisiensis, societatis Iesu sacerdos isque doctissimus, qui & ipse eorum partibus sese adsociat, patrumque dicta ANSELMO, contrarium statuenter, opponit (5). Qui patri-

B 2

(3) Vid. eius lib. III. contra Arianos p. 239.

(4) Vid. eius libr. XIII. de trinit. cap. X. eiusdemque sermonem de annunc. Dom. In aliis tamen locis longe aliter suam hac de re mentem subinde edisserit.

(5) Vid. eius dogm. theol. tom. V. de incarnat. lib. II. cap. XIII. §. VI. p. 96. Idem tamen vir doctissimus loc. cit. §. XII. p. 98. concedit, veteres omnes uno ore & adsensu professos esse, necessariam eate-

nus

bus succederunt latinorum theologi, scholastici postea nuncupati, rursus in diversas partes abierunt. THOMAS quidem AQUINAS, quem angelum scholæ, seu doctorem angelicum vulgo nominarunt, necessitatem redemtionis per Christum præstare agnovit (6) multosque ex scholasticorum turba sibi habuit consentientes. Ast DURANDUS a S. PORTIANO (7), a quo nova inchoatur scholasticorum ætas, nec non alii ex tenebriscosis istis scholæ doctoribus, licet satisfactionis veritatem subinde admiserint, eiusdem tamen necessitatem in item vocare sunt annisi. De Socinianis, qui seculo XVI., ubi vix incunabulis egressa suis erat emendata religio, veritates divinas, easdemque longe gravissimas, debellandas sibi sumserunt, ac speciatim satisfactionis Christi tum necessitatem, tum veritatem præfraue negarunt (8), alibi nonnulla dicendi commoda fese offeret occasio. Constat quoque, eos, qui ex Arminii schola prodeunt, tum in aliis, tum in hoc ipso de redemtione Christi argumento, haud raro Socinianorum premere vestigia. Nec multum ab iisdem discedit GUIL. TWISSUS, theologus anglus, superiori seculo clarus, qui rationibus quibusdam in medium adductis comprobare sustinuit, Deum peccata remittere potuisse, etiam si nulla intercessisset per mortem servatoris nostri satisfactio (9). Cæterum, licet purio-

nus tollit redemtionem per Christum factam, quod aliter plena & omnibus absoluta iustitia numeris satisfactio esse nequivet.

(6) libr. IV. contra gentiles, cap. LIV. LV.

(7) in IV. sentent. dīct XV.

(8) Vid. SOCINUM de servat. lib. II. cap. I.

(9) Vid. eius vindictas gratiae, potestatis & pr. videntia divine, p. 24.

prioris fidei doctores redēmptionis p̄ Christum p̄stitae necessitatē contra Socini ad seclas strenue tueantur, non omnes tamen hanc ipsam necessitatē una eademque adstruunt ratione. Nonnulli enim dicunt, necessariam quidem fuisse istam redēmptionem, sed non necessitate *absoluta*, ut in scholis loquuntur, verum *hypothetica*, h. e. ex consilio & decreto Dei, qui genus humanum proprio filii sui sanguine redimere decreverit, & quidem hoc ipsum decreverit sub *hypothesi peccati*, ab homine, per legis divinæ transgressionem, libere contracti. Quum itaque redēmptione p̄supponat factum contingens, scilicet peccatum, colligunt exinde, eandem non *absolute*, sed *hypothetice* fuisse necessariam. Addunt quoque nonnulli necessitatē *congruentia*, aiuntque, maxime congruum fuisse maiestati divinæ, peccata mortaliū non aliter dimittere, quam p̄stita a sponsore ac mediatore nostro satisfactione, ne sanctissima eius p̄cepta impune violari dicerentur. Alii vero alia heic incedunt via, non tantum necessitatē quandam *hypotheticam*, quæ sola Dei voluntate nitatur, heic urgentes, sed & *absolutam*, quæ fundetur in ipsa iustitia vindicativa Deo essentiali. Unde pertendant, Deum decreuisse genus humanum morte filii sui redimere, non eam tantum ob rationem, quia nolit peccata, sine redēmptionis pretio, a filio suo p̄stito, remittere; sed, quia non possit, salva sua iustitia. Licet vero posteriorem hancce sententiam communiter amplectantur scriptores anti-sociniani; alii tamen iisque magni nominis theologi in priori illa docendi forma, quam simpliciorem iudicant, adquiescere malunt(10).

B 3

§. IX.

(10) Ex iis, qui hoc fecerunt, nominari cum primis heic merentur

§. IX.

Differuimus haec tenus de necessitate redēptionis per Christum præstitæ. Ordo iam poscit, ut de eiusdem veritate paucis dispiciamus. Hoc ipsum vero argumentum ubi iam pertractare adgredimur, vix opus esse arbitramur, ut contra veteres quosdam hæreticos copiose heic compobemus, passiones mortemque Christi, in quibus ratio formalis redēptionis consistit, vere, realiter & circa speciem contigisse. Nulla enim hac de re dubitandi superest ratio, cum diserte pronunciet apostolus, Christum proprio suo sanguine redēmisse ecclesiam. Id potius in controversiam heic venit: an redēmptio a Christo præstita sit tantum *impropria*, & *metaphorica*, quæ nititur mera Dei acceptilatione, & per solam suprēmi numinis indulgentiam gratis & precario aliquid impetrat? an vero fit *satisfactoria* (1), adeoque vera &

tur b. WEISMANNUS in *instit. theol. exegētico-degnat.* p. 598. atque ex reformatis PETR. IURIAEUS, in *tr. de la nature & de la grace* p. 163. Quibus b. CANZIUM adiungimus in *compend. theol. purioris* p. 689. seqq.

(1) Evidēt sola *satisfactio* non constituit totum redēptionis opus, si redēptionis vox sumatur in sensu latiori. *Satisfactio* enim consistit in perpessione penarum, quas Christus nostri loco sustinuit, adeoque hoc tantum innuit, Christum nobis impunitatem, sive immunitatem a peccatis impetrasse, cum contra redēptionis vox ea omnia comprehendat, quæ Christos in salutem nostram præstavit, & quibus vitam nobis comparavit æternam. Verum si vox redēptionis sumatur in sensu strictiori, ut idem sit quod *answergens*, sive solutio pretii pro redēmendo captivo, non latius extenditur, quam *satisfactio*; quæ vox non est biblica, sed ecclesiastica, licet eius synonyma in sacro codice existent.

& propria, interveniente vera veri pretii solutione facta,
quæ re ipsa meritorie (2) & ex iustitia iudicis (3) remissio-
nenem peccatorum vitamque æternam consequitur? Redem-
tionem metaphoram atque impro priam facile admittunt dis-
sentientes (4), ut invidiam negatæ satisfactionis Christi si
non

(2) Dum dicimus, redemtionem seu satisfactionem Christi esse me-
ritoram, eo ipso innuimus, satisfactionem & meritum servatoris nostri
esse inseparabiliter connexa. Nec negamus tamen, easdem diver-
sis differre respectibus. Satisfactione enim, quæ est pretii pro debi-
tis nostris solutio, antecedit, meritum autem, utpote quod satisfa-
ctionem iam factam præsupponit, consequitur. Deinde satisfactio
præstatur DEO, non nobis, licet pro nobis, seu loco nostro iu-
nitiæ divinæ satisficerit sponsor. Ast non DEO, sed nobis, actioni-
bus, quibus legem nostro loco perfectissime adimplevit, vitam æ-
ternam, ac passionibus, quas pro nobis sustinuit, & hanc & cum
primis absolutionem a reatu damnationis æternæ servator Christus
promeruit. Accedit, quod satisfactio respectum habeat ad compen-
sandam iniuriam. Compensavit enim Christus satisfactione sua in-
iuriam DEO illatam, nostramque expiavit iniquitatem; cum con-
tra eiusdem meritum respiciat ad mercedem gratuitam adquirendam
peccatoribus. Vid. IUSTI FEUERBORNII, theologi quondam
Marpurgensis, syntagma I. sacr. dissert. part. III. diff. VIII. p. 703. seqq.
Conferenda quoque sunt, quæ de notione meriti copiose solideque
differunt illustris ac reverendissimus universitatis cancellarius, C.
M. PFAFFIUS, in dissert. de merito ut sic angelorum, hominis inte-
græ, lapsi, restituti, beatorum, maxime Christi, quæ A. MDCCXLV.
heic Tubingæ prodidit.

(3) Adeoque non de redemtione extra judiciali, qua quis liberatur ab
incommodo, illato ab eo, qui adflictus index hand est, sed de re-
demptione judiciali sermo heic est.

(4) Admittit fane eandem ipsemet SOCINUS de I. C. servat. part.
II. cap. I. ita scribens: *Quis est ita hebes? quis vel in sacris litteris,*
vel in aliis honorum auctorum scriptis ita parum versatus? quis denique ita
com-

non penitus tollant, saltim aliqua allevent ratione. Ast redemtionem *veram* & propriam negant ac pernegant. Nos iisdem effatum apostoli Pauli opponimus, qui, ecclesiæ acquisitionem interveniente sanguine Christi factam esse, nos condocet. Unde sequentem in modum iam argumentamur: Qui interveniente proprii sanguinis effusione adquisivit ecclesiam, is non nuda omnisque pretii solutione destituta liberatione eandem redemit. Ast servator Christus interveniente proprii sanguinis sui effusione ecclesiam adquisivit; proinde non nuda, omnisque pretii solutione destituta liberatione eandem redemit.

§. X.

Quum vero nostra plurimum referat, hocce sacræ doctrinæ caput, quod religionis christianæ basin constituit, extra omnem dubitationis aleam positum esse, ad uberiorrem eius declarationem porro notamus, ex collatione dicti Paulini cum aliis sacrarum litterarum locis luculenter patere, in ecclesiæ redemtione ita intervenisse sanguinem mortemque Iesu Christi, ut revera *pretii* habuerit rationem, quo ecclesia ex infernalis genii captivitate liberata iustitiæque divinæ plenissime satisfactum est. Nolumus heic repetere

communis loquendi usus ignarus, qui nesciat, redimendi verbum, non dicam, aliquando, non etiam sepe, sed plerunque & fre semper, potissimum vero apud sacros scriptores metaphoram prorsus significationem obtinere; adeo ut nihil aliud sit redimere, quam liberare aut sibi adferre, quamvis veri pretii vera solutio aliqua non interveniat. Et, quibusdam interiectis, ita pergit: Sic Christus, suprema potentia & auctoritate sibi a Deo concessa, nos ex peccati & mortis servitute, DEO ita iubente, nullo vero prelio cuiquam soluto, redemit, & ipsi Deo adseruit.

petere observationem illam philologicam eandemque satis fundatam, quod vocabulum græcum *αἵρεσις* in textu nostro extans, respondeat ebraeorum סְמִינָה & syriaco ᵣ̄, quod subinde *prētium* significat (1). Nec inhærebimus ipsi *redemptionis* voci, quæ, ut ex supra dictis patet, in primaria & maxime propria significatione, *propriam* atque adeo interveniente aliquo *prēcio* factam *redemptionem* innuit (2). A propria autem & nativa verborum significatione nunquam esse recedendum, nisi gravissimæ id caussæ urgeant, apud omnes in confessio est. Nec urgebimus ea argumenta, quæ ab officio mediatoris, a propitiationis, reconciliationis ac placationis natura atque indole, itemque ab admirando misericordiæ ac iustitiæ divinæ temperamento, nec non a culpæ ac pœnæ peccatis nostris promeritæ a Christo facta suspicione sunt desumpta, aliaque huius generis plura, quæ a nostris theologiis magno adducuntur numero. Subsistimus potius intra oraculi Paulini cancellos, nostramque explicationem verborum gentium apostoli, *adquisitionem ecclesie sanguine Christi factam esse*, pronunciantis, rationibus quibusdam e sacra scriptura desumitis iam confirmabimus.

§. XI.

Primum, quo interpretatio nostra innititur, argumentum ex eo desumitur, quod *nigromonos*, cuius Paulus heic meminit,

C

minit,

(1) Vid. *observ. sacr. ad Act. XX. 28. P. I. p. 35, 36.*

(2) Esse hanc primariam & maxime propriam huius vocis significationem, ipsemet fatetur *SOCINUS loc. cit.* ubi hæc leguntur verba: *Redimere aliquem nihil aliud propriæ significat, quam captivum e manibus illius, qui illum detinet, dato prēcio liberare.*

minit, alibi αγοραστός, ἐπιγοραστός, itemque αγοράντος, ἐπιγοράντος, εμπλικός, redemptio, emercatio adpellatur (1). Ipse servator optimus communis animalium ac seniorum voce celebratur, tanquam qui nos emerit (2), ii vero, qui sequuntur agnum, de terra & ex hominibus emti dicuntur. Adquisitio autem, quæ sit per modum emptionis, fieri haud potest, absque pretii alicuius solutione. Αγοραζεν enim est, in personam vel rem, quæ sub potestate alterius est, pretio redditio, sibi ius adquirere, quo sensu passim a sacris novi federis scriptoribus adhibetur (3). Quin hac ipsa voce usi quoque sunt LXX. interpres, eaque reddiderunt verbum ebraicum רכש (4), quod itidem, interventu pretii sibi aliquid comparare, significat (5). Quando itaque verbum αγοράζειν & ἐπιγοράζειν ad redempcionis nostræ opus transfertur, recte exinde inferimus, homines redemptos esse mediante pretio quodam, quod illi, in cuius potestate erat, homines captivos detinere & rursus dimittere, erat persolvendum, antequam hi in libertatem vindicarentur.

§. XII.

Nec secundo loco prætermittendum heic est, quod μετανοή ecclesiæ facta sit sanguine Dei, tanquam λύτρων. Christus enim dicitur dedisse animam suam λυτροῦ αὐτοῖς ποθεν (6). Proinde hæc μετανοή interventu veri pretii ac satisfactionis præ-

(1) Vid. 1 Cor. VI. 20. VII. 23. Gal. IV. 5. 2 Pet. II. 1.

(2) Apoc. V. 9.

(3) Vida Matth. XIV. 15. Marc. VI. 36, 37. Matth. XXI. 12.

(4) Genes. XLII. 57. XLIII. 5, 7.

(5) Deuter. II. 28.

(6) Matth. XX. 28. Marc. X. 48.

præstite facta est. Λυτρόν enim, vi etymi, denotat *præsum*
redemptionis, vel *præsum redempti captivi*, quod pro redem-
tione solvitur (2). Solet quoque hæc ipsa vox a scriptori-
bus græcis subinde de tali *præsum* usurpari, quod olim iudici-
bus *pro redimenda vita* solvebatur, si reus, ex iustitiae legi-
bus, capite plectendus erat. Hocce sensu vocem hanc LXX
interpretes adhibuerunt in versione loci *Exod. XXI. 30.* ea-
demque ebræorum לְבָדָק reddiderunt. Quin & de *hostia pia-*
culari, quæ in rei locum surrogata, poenam ab ipso pro-
meritam sustinere hacque, ratione mortem vicariam pati
debebat, vocabulum hocce a veteribus (3) nonnunquam ad-
hibitum fuisse constat. Ex quibus intelligitur, λυτρόν olim fu-
isse vel *pecuniarium*, quod certa pecunia summa, a iudice
pro delicti ratione imperata, erat persolvendum; vel *cruci-*
entatum, quod nonnisi morte ac sanguine condemnati ex-
solvi poterat (4); quale erat λυτρόν istud longe pretiosissi-
mum, quod Christus, fundendo sanguinem suum, DEO O.
M. in redemtionem generis humani persolvit. Unde se-
quens extruimus argumentum: Quæcumque redemtio
facta est mediante, sive interveniente sanguine Iesu Chri-
sti, tanquam λυτρόν seu *præsum*, pro redemptis persoluto, ea est
C 2 vera

(2) Vid. de hocce vocabulo EUSTATHIUM, celeberrimum istum
Homeri explanatorem, ad *Iliad. A. v. 14. p 14. ln. 21. 25.* item-
que ad *Iliad. 9. v. 543. p. 726. ln. 19.* edit. Rom. aique PHAVO-
RINUM in comment. ling. grac. col. 1199. add. IO. PEARSONIUM
in exposit. symb. apostol. p. 644. not. (c)

(3) Ita enim scribit LUCIANUS: Ταῦτα γενεσις εἰσὶν τοῖς τούτοις λυτρόν
υπέρ εἰκα, i. e. promitto tibi, hiccum mactatum iri in hytron pro me.

(4) Lectu digna sunt, quæ hanc in rem differit IO. ANDR. DAN-
ZIUS

vera proprieque dicta redemtio. Ast redemtio Christi ita est comparata, E. Nec est, quod forte obiicias, *λύρα* hoc seu *preium* dici tantum improprie, quia per eius *präsentiam*, licet non per eiusdem *efficientiam* e spirituali peccati mortis que captivitate liberemur. Neque enim ulla, quæ ad sensum improprium nos heic descendere iubeat, ratio adparat, præsertim, cum neque ex sacris, neque ex profanis scriptoribus evinci queat, vocem hanc in sensu metaphorio accipiendam esse.

§. XIII.

Jam vero, quod *tertio* loco notamus, probationi modo adductæ atque in se satis efficaci, novum idque invictissimum robur exinde accedit, quod sacra scriptura in hoc ipso de redemtionis opere argumento non tantum voce *λύτρη*, sed & *κατιλύτρη*, quæ significantior est illa, subinde utatur. Ita enim pronunciat gentium apostolus: *Unus est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit se ipsum κατιλύτρον preium redemtionis pro omnibus* (1). Bene monent grammatici, præpositionem *κατι* in compositione vel significare *contrarietatem*, seu oppositionem; ut *κατιπάλαι*, *κατιδίνος*, *κατιγόρω* &c. vel *compensationem* ac *commutationem*, veluti *κατιψυχει* (2). *Contrarietatem* seu *oppositionem* heic locum habere

ZIUS, in dissert. de lytro redemtionis humana, quæ inserta est MEUSCHENII novo testam. ex Talmude illustrato, §, XXIII. p. 869. seqq.

(1) 1 Tim. II. 6.

(2) *Αντιψυχη* a scriptoribus græcis ii dicebantur, qui pro altero morti se devovebant, ut eundem liberarent; prout de Damone & Pythia narrat CICERO lib. III. de off. cap. X. Conf. ISAACUM

CA-

bere haud posse, nemo non videt. Superest igitur significatus compensationis ac commutationis. Proinde *απειλήσεως* eiusmodi connotat redemtionis premium, quod commutationem debitoris & compensationem debiti simul innuit, eoque in casu adhibetur, quando redemptor in rei vel captivi locum surrogatus, simile aliquid subit ei malo, quod illi, qui liberatur, imminebat; verb. grat. cum caput capite redimitur.⁽³⁾ Unde HESYCHIUS in voce *περιψημα* coniungit *απειλήσεως* & *απειλήσκειν*. Eleganter rem explicat, qui hac voce usus est, divus apostolus, ita scribens: Christus *εξηγούσας* redemit nos ab exsecratione legis, factus *υπὲ πνεύμα pro nobis* (adeoque non duntaxat nostro bono, ut obtendunt dissentientes, sed & vice nostra & loco nostro) exsecratio⁽⁴⁾; dum scilicet exsecrationem, quae nobis, ob legis transgressionem, incumbebat, in nostrum succedens locum, pro nobis sustinuit, poenasque nobis debitas passione ac morte sua persolvit.

§. XIV.

Quarto illud quoque monendum heic est, quod *περιψημα* ecclesiæ, de qua Paulus in textu nostro loquitur, facta sit sanguine Iesu Christi, & quidem tali, qui alibi expressis verbis

C 3

CASAUBONUM, in not. ad Suetonii Caligulam cap. XIV. & ad Hadrianum Spartiani, IO. LOMEIERUM de vet. gentilium lustrationibus cap. XXII. p. 267. seqq. & IO. PEARSONIUM, in vind. Ignat. F. II. cap. XV. Iungi hisce meretur IO. CASP. SUICERUS, in thes. ecclesiast. tom. I. p. 377. & 993. voce *απειλήσκειν*, ubi multa patrum loca hoc spectantia in medium adducuntur.

(3) Huc pertinet communis illa ac pervetusta iudaorum dicendi ratio, de sacrificiis piacularibus usitata: *וְאֵל תִּתְהַנֵּה וְאֵל*.

(4) Gal. III. 13.

verbis *τιμων πρειοσ* vocatur (1), eo quod *pretii* adæquati & quidem tam cari valorem habet, ut emti desinant esse sui iuris, inque potestatem illius transeant, cuius pretio tam magno emti sunt. Hinc & apostolus Petrus, quod *quinto loco* notamus, pretiosum Christi sanguinem cum rebus carissimis, quæ impendi ab hominibus solent, vel ad captivos redimendos, vel ad rei cuiuslibet emtionem, auro nimirum atque argento, non tantum confert, sed & iisdem quam longissime præfert, tanquam maius quiddam atque præstantius in genere *pretii*. Sciatis, inquit, vos non auro & argento, nec corruptibilibus rebus redemptos esse a vana illa *vestra conversatione*, sed pretioso sanguine agni *inculpatis* & *incontaminati*, nempe Christi (2). Nemo sanæ mentis negaverit, metallista nobiliora, aurum nimirum atque argentum, non tantum *figurate*, sed vere pretium esse, immo omnium rerum & operarum pretium virtualiter continere. Quæ cum ita sint, sponte consequitur, sanguini quoque Iesu Christi veritatem aliquam *pretii* competere, si non in genere *physico*, quod facile admittimus, tamen in genere *mystico* & *moralis*, ita quidem, ut redemptio nostra non tantum sit *consequens λόγος*, sed & proprius atque realis eiusdem *effectus*. Alias enim parum adposite collationem istam inter aurum & argentum nec non sanguinem Christi instituit servatoris legatus, vir entheus, quod vel cogitare impium foret atque profanum.

§. XV.

(1) Pertinent hac verba apostoli 1 Cor. VI. 20. *εκτεινασθαι την τιμην*, vulg. *non estis vestri, emti enim estis pretio magnō*, & 1 Cor. VII. 23. *τιμων πρειοσ* μη γινεσθαι οδοι προσπαθει.

(2) 1 Petr. I. 18, 19.

§. XV.

Addimus hisce *sexto* loco aliam veritatis gravissimæ probationem, ex veteris testamenti libris desumptam, in quibus redemptor generis humani soluisse dicitur pro nobis, quæ non rapuerat (1). *Raptus* iste, cuius meminit scriptor divinus, tum peccatum generatim spectatum, omnesque illius species, tum speciatim quoque gravissimam illam divinæ maiestatis rapinam respicit, quam primi nostri proh dolor commiserunt parentes, utpote qui maiestatem & gloriam divinam nefando ausu ad se rapere voluerunt (2), hac ipsa vero ratione imaginis divinæ felicitatisque æternæ, cum omnibus posteris suis, iacturam fecerunt nunquam fatis deplorandam. Ad compensationem itaque huius alienæ rapinae, eiusdemque expiationem, sponte se æterno patri obtulit sponsor noster Iesus Christus, propriisque debiti expers, alieni reatum in se suscepit, pœnas rapinæ debitas perferendo, lytrumque exactissimum pretiosissimi sanguinis sui effusione persolvendo. Proinde verbis scripturæ sacræ modo allegatis luitio vicaria & satisfactio Christi pro nostris & totius mundi peccatis, qua Deo sumus reconciliati

(1) *Pf. LXIX.* s. GROTIUM, qui verba huius Psalmi in *locis parallelis novi testam.* non de Messia, sed de Davide secundum litteram interpretatur, copiose refellit ABRAH. CALOVIVS, in *bibl. illustr. ad b. l.* Conferri quoque merentur GEIERS & I. H. MICHAELIS in *annot. ad b. l.* nec non ALTINGIVS, ecclesia reformatæ theologus, *tom. V. opp. heptad. II. diss. 1.* itenque ex nostris SCHERZERUS atque DORSCHÆUS, qui peculiares in *b. l.* dissertationes ediderunt.

(2) Vid. *Genes. III. 5, 22.* Quo sine dubio respicit apostolus Paulus

ti (3), innuitur. Nam verbum ebræorum בְּשָׁנָה significat *restituam, solvam, satisfaciam*, & adhiberi a sacris veteris testamenti scriptoribus solet, cum de λυργῷ redēptionis (4), vel de satisfactione pro delicto (5), sermo est, & quoties cum *rapina* vel alio quodam delicto ita coniungitur, ut eidem opponatur, vel poenæ impositionem, vel solutionem pretii ac satisfactionem connotare deprehenditur.

§. XVI.

Atque hac ratione nostram oraculi Paulini interpretationem, secundum quam redēmō ecclesiae per sanguinem Iesu Christi præstata, non tantum *impropria* ac *metaphorica*, omnisque pretii solutione vacua, sed *vera & propria*, interveniente vera veri pretii solutione facta, statuitur, satis, ut opinor, comprobavimus. Adiungimus iis, quæ iam diximus, unicam observationem, si non probationi rigorosæ, saltim illustrationi huius argumenti inservientem. Constat nimirum, *ecclesiam* Dei, quæ est obiectum redēptionis, non qui-

Ius Phil. II. 6. de Christo inquiens, quod non arbitratus sit rapinam,
τὸν τύπον ἵστη θεός.

(3) Secundum *Ezai. LIII. 4. seqq. Dan. IX. 24. Job. I. 29. Rom. V. 10. Gal. III. 13. 1 Job. II. 2.*

(4) Vid. *Lev. XXV. 51, 52.*

(5) Vid. *Num. V. 7. XVIII. 9. 1 Sam. VI. 3, 4.* Ad quem posterius locum SALOMON BEN MELECH in *Miçbhal lophi* observationem dedit minime contemnendam: *Verbum hoc, inquit, cum nomine כְּשָׁנָה mulcta, piamentum, satisfactio construitur;* quia peccator, quem offert oblationem pro reatu, se habet ut debitor, qui debitum restituit creditoris.

quidem adæquatum, attamen principale (1), passim in libris novi testamenti adpellari *sponsam Christi* (2). Nec desunt veteris testamenti oracula, in quibus Messias, in carnem venturus, sub eodem schemate describitur (3). Fundamentum huius emblematis in eo consistit, quod Christus intensissimo amoris affectu prosequitur ecclesiam, sponsam suam, semetipsum & omnia bona sua eidem in manus tradit, familiariter eam complectitur, quin & eandem arctissima, iucundissima, constantissimaque unione Deo associat. Iam vero si veteris testamenti consulamus historiam, statim deprehendimus, sponsos persoluto *pretio* sponsas sibi olim comparasse. Testantur id ipsum exempla luctucentissima Iacobi (4), Schemi (5), Davidis (6), aliorumque. Quin & apud græcos (7) aliosque orientis populos

D

ean-

(1) Vid. quæ supra diximus §. III.

(2) Job. III. 29. Apoc. XXI. 9.

(3) Vid. Ps. XIX. 6. XLV. & præcipue canticum Salomonis. Quin & in scriptis iudeæ gentis doctorum haud obscura huius mysterii occurunt vestigia. Ita magistri in *Rabbith* fol. 235. col. 1. & 2. ecclesiam Israëlicam representant ut uxorem Dei. Ita & *Midrash cantic.* II. 8. Messiam ut sponsum ecclesie & c. I. 4. ecclesiam Israëliicam ut uxorem Dei considerat. Plura dabit FRID. ADOLPH. LAMPIUS, in exercit. VIII, in Ps. XLV. §. X. & in comment. evangelii secundum Joannem tom. I. p. 669. not. (p.)

(4) Genes. XXIX. 15, 18, 20, 27.

(5) Genes. XXXIV. 11, 12.

(6) 1. Sam. XVIII. 25, 27.

(7) Pater hoc ipsum ex variis HOMERI locis, quæ collegit EVERHARDUS FEITHIUS in antiquit. Homeritis, lib. II. cap. XI. itemque ex ARISTOTELIS lib. II. politic. cap. VIII. ubi de antiquissimis

eandem olim (8) obtinuisse consuetudinem, veterum monumenta dubitare nos non sinunt. Quum itaque servator Christus sub sponsi, ecclesia vero ab ipso redempta, in scripturis sanctioribus sub sponsæ describatur emblemata, haud immerito inde colligi posse arbitramur, cælestem prorsusque amabilem sponsum non sine vero pretio ecclesiam, sponsam suam, adquisivisse.

§. XVII.

Adserta redemptionis veritate, de eiusdem perfectione agendum iam nobis est, atque ostendendum, *premium redemptionis pro hominibus a Christo persolutum gravitatem peccati in valore suo adequare, iustitiaque divina peccatis nostris lœse equivalens, adeoque sufficientissimum, consummatissimum, perfectissimumque esse.* Hoc ipsum vero variis argumentis, partim ex oraculo nostro Paulino, partim vero aliunde desumptis, copiosius iam comprobabimus. *Primum* pro adstruenda gravissima hac veritate argumentum ex *infinito valore huius lytri* desumimus. Quidquid enim est infinitum, illud in suo genere omnia habet, quæ habere potest, adeoque est perfectum, cum infinito maius aut perfectius concipi prorsus nequeat. Infiniti vero valoris esse redemp-

nis

mis græcorum moribus ita scribit; *επόνοφορτοι οἱ Ελληνες, καὶ τοις γυναικαῖς ταντοῦ παρ αὐτοῖς, ferrum gestabant græci, & uxores invicem emebant.*

(8) Immo non tantum olim gentes orientales sponsas persoluto pretio sibi comparasse constat, sed & hodienum apud Turcas & Persas similia fieri, THEVENOTIUS in *itinere orientali lib. I. cap. XLII.* nos reddit certiores.

nis pretium a Christo pro nobis persolutum ex ipsius *personæ*
nos redimentis *dignitate* atque eminentia evincimus. Ne-
mo est, qui ignoret, valorem ac pretium alicuius actionis
aut passionis subinde ex ipsius *personæ dignitate* æstimari, ut,
quanta est dignitas personæ, tanta etiam ipsius actionis vel
passionis statuatur dignitas atque valor. Ita iniuria vel mors
regi illata tanti iudicatur esse pretii, quanti est ipsa regis
dignitas, atque hanc ipsam ob rationem longe maiori vin-
dicari solet suppicio, quam si quis vilioris fortis hominem
vel maledictis oneraverit, vel eundem trucidaverit. Ita &
mors, quæ piis sanctisque infertur hominibus, dicitur *pre-
tiosa* בְּעֵינָיו in oculis domini & iudicio ipsius mentis divi-
næ (1), quoniam scil. ipsimet magno in pretio & honore
sunt apud Deum (2), atque *υδρίας* iure perfruuntur (3). Un-
de & Deus sanguinem suorum, quum funditur, inultum haud
sinit (4), quin iniurias piis illatas ita ad semetipsum refert, ac
si is, qui pios tangit, seu ulla ratione lædit, *pupillam oculi* ipsius
Jehovæ tetigisset (5). Atque hæc ipsa procul dubio ratio
D 2 est,

(1) *Pf. CXVI.* 15.(2) *Ezai XLIII.* 4.(3) *J. b. I. 12. Rom. V'II. 14, 16 IX. 8.*(4) Abunde hoc ipsum comprobant martyrum a populo iudaico ne-
catorum, Stephani aliorumque exempla illustria. Vid. *ad VII.*
Matth. XXIII. Cæterum legi heic omnino merentur, quæ LA-
CTANTIUS, seu quisquis sit auctor libri peregregii *de mortibus*
persecutorum, hanc in rem scriptis. Conferenda vero sunt, quæ
STEPH. BALUZIUS, TH. GALE, CUPERUS, BAULDRI,
COLUMBUS, TOINARDUS, SPARK.US ad huncce librum
adnotarunt.(5) *Zach. II. 8.*

est, cur præsca christianorum ecclesia tam martyrum, quam sanctorum omnium morti magnum olim statuerit pretium (6), eorumque, qui veritatem christianam suo obsignarunt sanguine, memoriam quotannis renovaverit in natalitiis martyrum (7). Ast, quantumcunque vel tandem pretium passionis ac morti alicuius hominis, ob personæ dignitatem, inesse statuatur, eo tamen adsurgere haud potest mors ~~ad se usq; non~~, quantuscunque demum ille fuerit, ut si ve pro se ipso, si ve pro aliis hominibus sit satisfactoria ac redemptoria. Nimis pretiosa enim est redemptio animæ humanae, quam ut a nudo homine, qui eiusdem naturæ retinetur infirmitate, præstari queat (8). Solus Christus, unicus iste homo (9), qui erat in gratia apud Deum, tanta effulgebat dignitate, ut sua morte cruenta nos liberare potuerit a reatu mortis & maledictionis. Quum enim ad perfecti vadis ac redemptoris constitutionem duo cumpromis fuerint necessaria, primo quidem, ut is perfecta sanctitate atque iustitia esset ornatus; deinde, ut diuina ac prorsus

(6) Luculentis veterum scriptorum testimoniosis hoc ipsum copiose comprobavit vir clariss. CAROLUS HENR. ZEIBICHIUS, in *dia-triba exeg. de pretio mortis sanctorum in oculis domini*, p. 28. seqq.

(7) Constat ex historiæ ecclesiastice monimentis, hocce nomine eos a christianis dies olim coherestatos fuisse, quibus martyres suum pro doctrina cœlesti profuderunt sanguinem, atque hac ratione ad cœlestem æternaque vitam renati fuerunt. Copioe non minus, quam eruditæ de hisce martyrum natalitiis commentati sunt LUD. ANT. MURATORIUS, IO. FAES, CASPAR SAGITTARIUS, alii.

(8) Ps. XLIX. 8. Job. IX. 13.

(9) Rom. V. 17.

sus infinita virtute polleret, quæ infinitum redemtionis pretium infinito redimendorum reatu posset opponere; duo hæc in Christo. ^{seu} modo longe perfectissimo deprehenduntur. Nam ut homo ab omni peccati-labe fuit immunis, nobis in omnibus similis factus, excepto peccato. Unde, qui peccatum non agnoverat (10), pro nobis dicitur peccatum factus (11), quia quidquid peccati est, ipsi, ratione culpæ pariter ac poenæ, in iudicio divino fuit imputatum. Ut Deus vero summa & infinita virtute fuit prædictus, adeoque passionibus humanis sanguinique pro nobis effuso infinitum addere potuit valorem ac pretium. Neque enim nudus aliquis homo, sed ipsemet DEUS, æternus nimirum Dei filius, proprio sanguine, teste apostolo Paulo, ecclesiam adquisivit. Unde iam invictum deducimus argumentum. Nam si persona ecclesiam redimens non modo sancta & incontaminata, sed & divina & infinita fuit, infinitum etiam fuisse redemtionis pretium, sponte consequitur. Eo ipso enim, quod persona infinita est dignitatis, omnia quoque, quæ eidem insunt, eadem quasi dignitate perfunduntur. Unde & ex antiquis christiani cœtus doctribus IO. DAMASCENUS eiusmodi actus vocat *actus Christi deitate affectos, seu perfusos* (12); recteque THOMAS

D 3

(10) Vid. 1. Petr. I, 19. II, 22. Ebr. VII, 26. Job. VIII, 46.

(11) 2. Cor. V, 21. ad quem locum exstat egregia illustris &c reverendissimi cancellarii C. M. PFAFFII dissertatione, quæ heic Tubingæ MDCCXXXIV. prodiit, hac insignita inscriptione: *de Christo factio peccato.*

(12) lib. III. de orthodoxa fide cap. XV.

MAS de AQUINO monuit, quod dignitas carnis Christi non sit estimanda solum secundum carnis naturam, sed secundum personam adsumentem; in quantum scilicet erat caro Dei, ex qua habebat dignitatem infinitam (13).

§. XVIII.

Ut vero ea, quæ modo commemoravimus, rectius intelligantur, porro notamus, personam Christi infinitam, ipsius passioni & morti dignitatem conciliare infinitam, non tantum ab *existimatio*, & per *accidens*, ut in scholis loquuntur; verum ab *inveniatio*, per intimam scilicet atque arctissimam carnis cum *lora* unionem & *propinquor* personalem. Neque enim persona Christi infinita passioni & morti ipsius ea duntaxat adsistit ratione, prout maiestas regia, eruditionis gloria, aliaque accidentia actioni & passioni naturali, sine reali aliqua *actione* adsunt. Sed persona ^{re}
_{realis}, quæ infinita est, non tantum respectu *subsistensia* suæ, sed etiam ratione *essentia* suæ infinita, licet in concreto specata, humanam naturam, propria subsistensia destitutam, intra suam hypostasin adsumpsit, eandemque suam sibiique propriam naturam reddidit, adeoque ipsius infinita gloriæ ac dignitatis vere & realiter fecit partipem. Quum vero hæc ipsa infinita filii Dei dignitas carni communicata in ipsam quoque passionem ac mortem mediatoris vere & realiter redundaverit, atque natura Christi divina passionem & mortem humanæ naturæ sibi vere & realiter vindicaverit atque adpropriaverit, quin, per essentiam & maiestatem suam humanitatì communicatam, ad redēptionis opus con-

(13) part. II. quest. XLVIII. art. 2. ad 3.

concurrerit, atque ad id efficaciter fuerit operata, prouum exinde est colligere, personam redemtoris, quæ infinite est dignitatis, ipsi redemtionis operi infinitum conciliare premium ac valorem. Atque ex his satis, ut opinor, dispaleſcit, infinitum redemtionis per Christum præstite premium ex vera & reali naturarum in Christo earumque proprietatum communicatione, quæ a nonnullis perperam negatur, derivandam esse; quin hanc ipsam communicationem unicum esse fundamentum, unde & ex quo passioni ac morti redemtoris nostri pondus æterni atque infiniti valoris rigorose sic dicti merito inesse dicendum sit (1). Est enim passio & mors Christi non solius humana, sed etiam divine naturæ, proprium suum ad redemtionem nostram conferentis, eamque hac ipsa ratione infinitam perfectamque redditis. Est opus Christi apotelesmaticum (2), ubi quælibet natura in Christo ad unum redemtionis *anōrētouma* seu effectum

pro-

(1) Vid. PETR. HABERKORNII, theologi quondam Giessensis, *Christologiam*, seu *traditum de persona Christi* p. 277. Idem loc. cit. p. 286, observat, eos, qui realem naturarum & proprietatum communicationem negant, infinitum meriti Christi valorem adstruere haud posse.

(2) Operationem istam, quæ ex concursu utriusque naturæ provenit, atque a nostris theologis *anōrētouma* i. e. opus perfidum, abſolutum, consummatum adpellari solet, alii, prærente Dionysio, quem areopagitam vocant, nec non IO. DAMASCENO, enyzuar ḥexygn̄ operationem deivirilem adpellitant, quin Deus in carne sua humana operabatur salutem nostram. Vid. DIONYSIUM ep. IV. ad Caium monachum p. 283. & IO. DAMASCENUM lib. III. de orthodoxa fide cap. XIX. p. 242, seqq. Conferenda sunt, quæ MICHAEL LEQUEN ad hunc Damasceni locum adnotavit.

producendum est, quod suum erat, cum communicatione alterius, prout recte docent concilii chalcedonensis patres.

§. XIX.

Alterum argumentum, quo lytri a Christo praestiti infinitus valor comprobatur, cum priori illo, quod modo adduximus, arcte cohaeret, atque ex lytri ipsius summa præstantia desumitur. Lytrum hocce, prout omnibus constat, est sanguis redemptoris nostri prorsus incomparabilis, isque longe pretiosissimus. Non enim est sanguis animalis olim in vet. testamento in sacrificium, seu expiationem oblati (1); nec sanguis nudi hominis, qui tamen & ipse magni aestimatur, quia homo primitus ad imaginem Dei conditus fuit (2); nec sanguis propheta tantum aut sancti alicuius, cuius magna alias apud Deum dignitas est (3); sed est sanguis agni immaculati atque incontaminati (4), agni Dei, qui tollit peccata mundi (5). Est sanguis summi novi testamenti sacerdotis, qui non per sanguinem hincorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem intravit semel in sancta, non manu facta, sed cœlestia (6). Est sanguis angeli redemptoris (7), qui venit in aqua & sanguine (8), ut feedus panget inter Deum hominesque. Uno verbo est sanguis Iesu Christi, ipsius filii Dei, patris cœlestis, cui omne beneplacitum est in filio suo dilecto (9). Atque hic ipse sanguis non

(1) Lev. XVII. 11.

(2) Genes. IX. 6.

(3) Ps. LXVII. 14.

(4) 1. Petr. I. 19.

(5) Job. I. 29.

(6) Ebr. IX. 12.

(7) Mal. III. 1.

(8) 1. Job. V. 6.

(9) Matth. III. 17.

non tantum est vere *humanus*, quia Christus verus homo est, & cum adsumta natura humana verum quoque sanguinem humanum adsumsit (10); sed & insimul vere *divinus*, per & propter unionem personalem. Est sanguis *christus* sive *deificatus*; est *unus idem et sanguis proprius Dei*, certo charaktere insigniti, quia ad personam eius, cœu pars eius personaliter adsumta, pertinet. Hinc disertis verbis dicitur: *Deus redemit ecclesiam PROPRIO SUO SANGUINE*. Atque ex his sponte consequitur, sanguinem Christi, qui est *christus* & redemptorius, divinaque virtute & potentia ditatus, esse sanguinem supra modum *preciosum*, omnique argentum & aurum dignitate, præstantia atque excellentia non tantum quam longissime superare, sed etiam propria eaque infinita virtute gaudere, omnia omnium mortalium peccata expandi, totumque adeo genus humanum redimendi. Quemadmodum enim sanguinis fidelium tanta coram Deo dignitas est, dicente Psalmista (11), quanta est ipsorum fidelium, utpote filiorum Dei & hæredum vitæ æternæ; ita & sanguinis Iesu Christi pro toto mundo effusi in redemptionem, tanta est dignitas, tanta pretiositas, quanta est ipsius Christi, utpote unigeniti Dei filii, Dei benedicti super omnia in secula. Est vero dignitas Dei, prout apud omnes in confessio est, *simpliciter* & *absolute infinita*. Proinde & sanguinis filii Dei, quo ecclesiam suam redemit, dignitatem ac pretiositatem pari ratione *simpliciter* & *absolute infinitam esse*, sponte consequitur.

E

§. XX.

(10) *Ebr. II. 14.*(11) *Ps. LXXII. 14.*

§. XX.

Tertium argumentum, quo infinitus τε λύτρα valor atque adeo summa eiusdem perfectio adstruitur, subministrat nobis effectus τε λύτρα, qui sane prorsus singularis ac divinus est. Adiudicatur enim eidem ab apostolo Paulo *ecclesie adquisitio. Deus, inquit, proprio sanguine ADQUISIVIT ECCLESIAM.* Scilicet Christus, dato in pretium sanguine suo, ecclesiam a potestate diaboli, mortis & inferni liberatam, atque a peccatorum fardibus purgatam, sibi in peculium adquisivit. Unde & cœtus eorum, qui Christi sacra amplectuntur, in sanctioribus litteris appellatur λύτρος εις περιποιησιν.

(1) *populus adquisitionis*, itemque λύτρος περιποιησιος (2), h. e. talis populus, quem suæ possessioni vindicavit servator. Iam vero cum hac ipsa ecclesiæ adquisitione coniuncta est infinitorum honorum amissorum restitutio, malorumque infinitorum, quæ peccando nobis attraximus, ablato. Christus enim ardenter Dei infiniti iram, per peccata mortalium succensam, sedavit, legisque divinæ maledictionem penitus abstulit (3), quin gratiam & misericordiam Dei infinitam (4), Spiritumque

(1) 1 Petr. II, 9.

(2) Tit. II, 14. Confer, si placet, quæ in observ. sacr. ad Ag. XX. 24. part. I. p. 32, not. (9) hanc in rem diximus.

(3) Rom. V, 8, 9, 10. Gal. III, 13. 1 Thess. I, 10.

(4) Hinc gratia ista atque misericordia Dei, quæ antea per peccata nostra a nobis fuit cohibita, per Christum vero meritorie pro nobis sufficientem recuperata, dicitur τὸν ἐλεύθερον γένεσιν gratia in eternum Ps. LXXXIX, 3, gratia Domini ἐλεύθερον γένεσιν ab eterno in eternum, Ps. CIII, 17. καὶ γένεσις πρὸ πατρόβολης κατεξ. i. e. gratia ante constitutionem mundi, seu aeterna Eph. I, 4.

que sanctum gratiose nos inhabitantem (5), cordaque nostra sanctificantem, nobis recuperavit, ut non amplius simus filii iræ (6), sed filii Dei, spiritu adoptionis donati (7), cohæredes Christi (8), ac hæredes vitæ æternæ (9), & gloriari possimus in spe gloriæ Dei (10). Quum itaque redemptio ecclesie, sanguine Iesu Christi facta, præstantissimos hosce in nobis produxerit effectus, interprete scriptura sacra, nullaquæ amplius sit condemnatio in iis, qui sunt in Christo Iesu (11); firmiter exinde concludimus, pretium redemptio-nis a Christo solutum, nimirum pretiosissimum sanguinem ipsius pro nobis effusum, cui effectus isti perfecte adscribuntur, sufficientissimum, perfectissimum, atque adeo infiniti valoris & efficaciam esse. Perfectus enim effectus perfectam caussam necessario supponit, neque virtutem causam suam excedit, quippe cuius vi iste existit.

§. XXI.

Argumentis modo adductis, quibus infinitus meriti Christi valor, atque adeo summa redemtionis per Christum factæ perfectio adstruitur, adiungimus alia, non quidem ex oraculo nostro Paulino, sed aliunde desumpta, quæ gravissimæ huic veritati ulterius confirmandæ inservire queunt.

E 2 Primum

(5) Pob. I. 16, 17. XV. 26. XVI. 7.

(6) 1 Thess. I. 10. coll. Rom. I. 18.

(7) Rom. VIII. 15. (8) ib. vers. 17.

(9) Ebr. IX. 15. coll. Eph. I. 18. Ab. XX. 32.

(10) Rom. V. 2. (11) Rom. VIII. 2.

Primum desumimus ab emphaticis descriptionibus, quibus sacra scriptura inestimabilem passionis ac mortis Christi valorem significare, nobisque ob oculos ponere solet. Describitur ille, ut supra observavimus (1), verbo ἀγοράζω & ἐξαγοράζω, quo ipso innuitur, redemptionem nostram per modum emtionis factam esse (2). ἀγοράζω enim significat emere, emendo per iustitiam commutativam sibi aliquid adquirere & comparare. Constat vero, eam emtionis inter homines usitatæ esse rationem, ut fiat per aliquid æquivalens, sive, ut pretium pro re emta cum ea æqualem habeat valorem. Quæcum ita sint, in redemptione totius generis humani non tantum verum, sed & tale pretium intervenisse necesse est, quod infinito redimendorum reatu æquivalens, adeoque infinitum sit atque ex omni parte perfectum. Describitur porro passionis mortisque Christi valor in sanctioribus litteris vocabulo λυτρός, αντιλυτρός (3), quod ut dudum monuerunt viri in litteris græcis versatissimi, non qualemque, sed æquivalens perfectumque pretium denotat. Unde & LXX. interpretes vocem λυτρός de eiusmodi pretio usurparunt, quo vendor vel se vel possessionem suam ab emtore æquivalenter redimere debebat (4). Nec prætermittendum heic est, quod redemptio nostra, secundum egregium illud servatoris dictum, facta sit per modum restitutionis, qua omnia, quæ inique sunt ablata,

(1) Vid. §. XI. huius dissert.

(2) Vid. 1 Petr. I. 18. 2 Petr. II. 1. Gal. III. 13. IV. 5. Apoc. V. 9.

(3) Conf. quæ supra §. XII. & XIII. hanc in rem diximus.

(4) Vid. locum, qui exstat Lev. XXV. 25, 51, 53.

lata, restituuntur (5). Hæc ipsa vero ablatorum restitutio fieri olim solebat, si non per compensationem damno illato longe maiorem(6), certo tamen *adæquatam*, exactissimam, perfectissimamque. Quum itaque Christus, proprii debiti expers, satisfactione sua restituerit Deo patri, quod homines ipsi rapuerant, ac speciatim *rapinam* illam, qua Deo honorem & gloriam suam auferre eique æquales esse voluerunt (7), *extinacione* ac *humiliatione* profundissima ac contumeliosissima plenissime compensaverit: nullum amplius remanet dubium, quin hæc ipsa compensatio a Christo præstita ipsum debitum valore suo exæquaverit, ac proinde omni ex parte fuerit perfecta. Quod si omnia ea, quæ modo differuimus, ad debitam argumentationis formam vellemus reducere, illa hac ratione esset exprimenda: Quæcunque passio & mors, ceu satisfactio & meritum pro nobis præstitum, ita est comparata, ut 1) *veræ emtionis* naturam habeat atque indolem; 2) sit *λυργον*, *αὐτιλυργον* i. e. *premium redēctionis* perfectum pro nobis solutum, ad nos redimendum; 3) sit re-

E 3

stitutio

(5) Vid. *Pſ. LXIX.* 5. ad quem locum supra §. XV. nonnulla adnotavimus.

(6) Vid. *Exod. XXII. 1.* *Lev. V. 16.* *VI. 5.* *Num. V. 7.* *2 Sam. XII. 6.* *Prov. VI. 31.* *Ezech. XXXIII. 15.* itemque *Luc. XIX. 8.* ad quem locum egregie commentatus est ZACH. HUBERUS, *in differt. iurid. & philol. diff. IV.* ubi in causis quadruplici a Zachæo redditii copiose inquirit.

(7) Vid. *Genes. III. 5.* *Add. Eſai. XIV. 53.* *ſeqq.* *Ezech. XXVIII. 2.* *Dan. V. 20.*

stitutio & compensatio inique ablatorum eaque plenissima; illa satisfactio est perfectissima atque exactissima. Atqui passio & mors Christi vicaria talis est, &c. E. Maior exinde comprobatur, quoniam alia definitio satisfactionis perfectæ & ad modum iustitiae commutativæ & distributivæ proprie & stricte sè habentis esse nequit, quam ex membris modo recensitis. Ad minorem vero propositionem quod attinet, ea, quoad omnes partes modo enumeratas, e scriptura sacra demonstrari potest luculenter.

§. XXII.

Probationi, quam modo adduximus, adiungimus alteram, desumptam ex emphasi vocis δικαιουμενος, quæ Rom. V. 18. de Christo servatore usurpatatur. Docet loc. cit. gentium apostolus, quem ad modum unius delicto factum sit, ut in omnes homines veniret condemnatio; ita δι εων δικαιουμενος, unius (scil. Christi) iustitia, nostri loco praestita, in omnes homines venisse δικαιουμενος. Dudum observarunt viri in litteris græcis probe versati, quod δικαιουμενος sit quasi materia δικαιουμενος iustificationi, de qua loc. excit. sermo est, substrata, iustitia nimirum praestita, sive satisfactio iudicialis (1), qua tantum praestatur, quantum satis est ad iniuriam corrigendam. Deprehendimus hanc vocis

(1) Vid. ABRAH. CALOVUM in bibl. illustr. ad h. l. eiusdemque dissert. Regiomontanas de veritate satisfactionis Christi, nec non IAC. GUSSETIUM, in commentario ling. ebraica p. 882. Quorum vestigia heic fecuti sunt viri doctissimi, LÜTKENIUS, WOLFIUS, DEYLINGIUS, STARGKIUS, ZELTNERUS, b. BENGELIUS noster, aliquie.

vocis notionem apud ipsum ARISTOTELEM (2), qui *δικαιομα* & *δικαιωμα* opposita statuit, atque hoc describit τὸ επινοεῖσθαι τὰ αἰτημένα, quod tantundem est, ac *satisfactio accurata*. Atque hanc vocis notionem loco Paullino, quem modo excitavimus, valde admodum esse, ipse contextus abunde nos condonet. De eiusmodi enim *δικαιωματι* Christi nostri loco præstato heic loquitur apostolus, quod est *caussa meritoria* absolutionis a peccatis, quæ fit in iustificatione nostra, & cuius tanta est vis, tanta efficacia, ut *ad omnes omnino homines*, ubi vis locorum, ne unico quidem excepto, iustificandos & in vitam æternam transferendos, ratione seriæ ac benevolæ Dei intentionis, se se extendat; quod sane de nulla alia, quam ea, intelligi potest *satisfactione*, quæ *δικαιωματι τε γενε* (3) plane respondet, adeoque *exactissima* est omnique ex parte perfecta.

§. XXIII.

(2) *Lib. V. ethicorum ad Nicomachum, cap. X.*

(3) *Vid. Rom. VIII. 4.* ubi per *δικαιομα legis* denotatur ius legis, seu absolutissima legis *institutio*, quæ post lapsum, ex rigore iuris, tum debitam transgressionis *pœnam*, tum perfectam *obedientiam* requirit. Quum vero hanc ipsam obedientiam a legi exactam nemo mortalium post lapsum præstare queat, Christus vas & sponsor noster id præstít, quod, uti apostolus loc. cit. ait, legi per carnem infirmata proflus erat impossibile, legemque pro nobis perfectissime implevit, quin & pœnas, quas peccatis nostris promeruimus, tanquam viætima piacularis in carne sua sustinuit, ut illud *δικαιομα legis* in nobis impleretur. Quis itaque dubitet, *perfectissimam* esse sponsoris nostri *satisfactionem* pro nobis præst̄ m, quum ea, prout ex dictis patet, *δικαιωματι τε γενε* tam exacte respondeat? Ceterum conferri quoque heic meretur locus, qui exstat *Rom. I. 32*, ubi memoratur *δικαιομα Dei*, quod pecca-

§. XXIII.

Novum huic argumento in se fatis valido, quod modo attulimus, robur exinde accedit, si ad comparationem istam, quam *loco excitato*, nimirum *Rom. V. 18*, inter Adamum primum & secundum instituit apostolus, rite attendamus. Ostendit nimirum vir divino spiritu adflatus, quem ad modum Adami primi inobedientia tota multitudine hominum ad ipsum pertinentium reatu maledictionis fuerit involuta; ita per Adamum secundum, scilicet Christum, qui non est *ἀληθῆς*, sed *πρᾶγματος*, eiusdemque obedientiam tam activam quam passivam, toti hominum multitudini partum atque adquisitum esse ius ad vitam eternam. Nec tantum duo hæc inter se quasi similia comparat, sed & dissimilitudinis, quæ inter *παραπτωμα & χριστου*, seu utriusque potius effectum intercedit, capita adfert, ostenditque *vers. 15. & seqq.* valorem operum Christi peccato Adami eiusque demerito multis modis preferendum esse. Ita enim pronunciat: *Non ut lapsus, ita etiam christus* (seu id, quod Adamus secundus nobis gratificabatur, nempe iustitia & salus) se se habet. Nam si illius unius, Adami scil. primi, *lapsu multi mortui sunt*; multo magis *gratia Dei* in filio suo unigenito manifestata, & *dignum* (i. e. iustitia Christi donata nobisque imputata per gratiam) *unius hominis Iesu Christi* (tanquam secundi Adami) *in multos superabundavit*. Quem ad modum itaque, prout ex effato Paulino patet, peccatum Adami ex se & sua natura omnibus eiusdem posteris demeruit damnationem mortemque æternam; ita multo magis obedientia secundi Adami, nimirum Christi, ex se & sua natura non tantum pro peccato plenissime satisfecit, sed & salutem vitamque æternam nobis promeruit. Patet ex his, longe maiorem esse valorem obedientiae Christi ad transfundendam redemptionem & gratiam, quam est vis atque efficacia peccati Adami

ad

peccatores morte æterna dignos pronunciavit. Vid. celeb. DEYLINGIUM, in *observ. sur. part. III. p. 564. seqq.* ubi peculiariis de *voca*
deinceps exstat dissertatio, eaque lectu dignissima,

ad transfundendam damnationem (1), unde & apostolus *vers. 20.*
dilectis verbis testatur: *ubi abundavit peccatum, ibi superabundavit gratia.* Et sane gratia Dei revera abundantior est quantiscunque peccatis, superabundat, ubi abundant peccata, modo vera fide adprehendatur: immensa enim est & lytro immensi pretii, sanguinis ipsiusmet æterni Dei filii, nobis parta; prout recte ex hoc loco colligit ABRAH. CALOVIUS.

§. XXIV.

Evidem adversus ea, quæ modo diximus, obiici fortassis posset, tantum abesse, ut collatio inter Adamum primum & secundum, ab apostolo *Rom. V. 15. seqq.* instituta, *infinito* meriti Christi valori patrocinetur, ut potius eundem destruat. Ex hac ipsis enim collatione patere, quod, sicut Adamus primus peccato suo licet *in se finito* (2) iram Dei *infinitam* attraxerit, eiusdemque provocaverit ultiōrem; ita & Adamus secundus iustitia & satisfactione sua licet *in se finita* Deum iratum atque offendit reconciliare æternam-

F

que

(1) Non erit incongruum, si hac occasione heic adscribamus elegos PICI Mirandulani, ut nobis videtur haud inelegantes, quibus servatorem nostrum, Adamum secundum ita adloquitur:

CHRISTE, tua est nostris maior clementia culpis,
Et dare non dignis res mage digna DEO.
Culpa reos facit, sed vincit gratia culpam,
Ut tuus in nostro crimine crescat honor.

(2) Evidem in omni peccato, quod adversus infinitam Dei maiestatem committitur, malitia est *suo modo* infinita. Ast *absolute* infinita dici nequit, si ad entitatem actus substrati respicimus. A finita enim creatura non potest elici actus infinite intensus, nec ulla alia est infinitas proprie & stricte sic dicta, quam quæ est solius DEI. Vid. WITSIUM in *econom. fœderum Dei*, lib. I. cap. V. §. XL. p. 65. & FEUERBORNIUM in *christologia*, cap. VII. §. 158. p. 373.

que nobis salutem recuperare potuerit. Ast nullam esse, quæ heic
nectitur, consequentiam, ex eo satis elucefecit, quoniam, ut su-
pra observavimus, divus apostolus loc. cit. non tantum collatio-
nem inter primum & secundum Adamum instituit, sed & ingens
discrimen, quod inter utrumque intercedit, monstrat. Con-
fertuntur illi ab apostolo, partim ratione *meriti*, quod, sicut Adamus
suo delicto nos morte æternâ obstrinxit, ita Christus sua obe-
dientia nobis adquisivit salutem æternam; partim vero ratio-
ne *universalitatis*, quem ad modum enim Adamo peccante to-
tum genus humanum peccavit, omnesque homines damnationi fa-
sti sunt obnoxii, ita obedientia Christi ac salus per ipsum recupera-
ta ad omnes omnino homines pertinet (1). Quod vero ad memo-
rabile discrimen, quod inter utrumque Adamum intercedit, attinet,
illud notatur a Paulo Rom. V. 15. αὐτὸν τὸ παρεπτόμενον, οὐτὸν τὸ καταπέμπον, αὐτὸν τὸ παρεπτόμενον, οὐτὸν τὸ καταπέμπον; & comm. 16. τὸ μὲν γὰρ πάτημα εἰς
τὸν πατέρα τὸν καταπέμποντα, τὸ δὲ καταπέμποντα εἰς πάτημα παρεπτόμενον τὸ δικαιοῦμενον; nam
iudicium quidem (est) ex uno in condemnationem: donum autem
ex multis peccatis (est) in iustitiam. Nimirum peccatum illud
primum, Adami manducatio de arbore vetita, (qui actus, licet il-
lo totam legem divinam violaverit, tantum consideratur ut unus)
unum tantum fuit, & solum illud peccatum imputatum est *εἰς κατα-
πέμποντα*

(1) Notanda tamen heic est distinctio inter *meritoriam* obedientia ac
salutis *adquisitionem*, quæ ad omnes omnino homines pertinet, ac
intet salutarem & actualēm istius obedientia *adapplicationem*, quæ utique
est particularis & ad quosdam tantum homines pertinet. Patet ex-
inde *disparitas* inter peccatum Adami & meritum Christi. Neque
enim obedientia Christi omnes & singuli *naturaliter* & *inhabitare* par-
ticipes reddimur, sed per fidem; cum contra per *naturalem nativi-
tatem* ipsius Adami *prævaricationis*, cum *peccato originali*, omnes
actu & *inhabitare* fiamus participes. Vid. HABERKORNIUM in
christol. cap. VII. §. 163. p. 383. Lectu quoque digna sunt, quæ
HIERON. GUIL. SNAEBELIUS in exerc. de Adamo typō Christi, ame-
nitibus ipsius theolog. inserta, hanc in rem scripsit.

upum ad condemnationem. At vero *dimicrum* Christi, quod apostolus vocat *zugum*, nos liberat a multis peccatis, non tantum illo Adami, quod omnibus eius posteris fuit imputatum, sed & illis multis magnisque sceleribus, qua quisque mortalium patravit. Omnia enim peccata, omnia debita nostra in se recepit (2) solvitque (3) Christus, ut, *iustitia & ira* Dei *infinita perfecte & exacte* satisfaciendo, nos a reatu omnium peccatorum, atque a rigore iustitiae divinæ ac iræ comminantis, quin a reatu mortis æternæ libaret atque redimeret. Ratio itaque discriminis, quod inter valorem peccati a primo Adamo commissi & valorem meriti secundi Adami seu Christi intercedit, est manifestissima. Ad iram enim atque indignationem Dei infinitam contra totum genus humanum excitandam satis eheu! valida fuit transgressio legis divinæ a primo Adamo commissa, quæ cum maximo creatoris contemptu erat coniuncta. Sed hominem in peccatum iam prolapsum ab infinita Dei ira, per multa magna quoque mortalium scelera merito succensa, nec non ex laqueis diaboli & inferni liberare & *satisfactorie* redimere, quin æternam, quæ per lapsum prohdolor! amissa est, vitam mereri eandemque restituere, hoc certe non potest esse opus passionis & mortis, nec non iustitiae & obedientiæ, quæ in se est *finiti valoris*; sed eiusmodi opus, quod in se *infinitum pondus & valorem* habeat, necesse est. *Infinita* enim *iustitiae* ultri-

F 2

cī

(2) Vid. *Ezai. LIII. 6.*(3) *Pf. LXIX. 5.*

(4) *Justitiam* Dei, quæ ad vindictam incutiendam per peccata excitatur, ita quæ eius, quæ per scelera mortalium acceditur & ad poenas infligendas provocatur, in se *infinitam* esse, ut illius nullus sit finis, & ita poenas infligere, ut semper & in eternum eas infligere valeat sine ullo termino, patet ex *Deuter. IV. 24.* *Exod. XXIV. 17.* *Ezai. XXXII. 14.* *Ebr. XII. 29.* ubi Jehovali propter hanc suam iustitiam vindicativam adpellatur *ignis consumens*. Conferantur quoque loca *Deuter. XXXII. 22.* *2 Reg. XXII. 13, 17.* *Pf. LXXIV. 1.* *LXXXIX. 5.* *LXXXIX. 47.* *Jer. VII. 20.* *XVII. 4* &c. Quemadmodum nimirum essentia divina est *infinita*, ita & iustitia eius vindicativa.

ci ac iræ divinæ, a qua Christus nos liberavit (5), æquivalens non potest esse, nisi satisfactio æque infinita.

§. XXV.

Pergimus ad tertium argumentum, quod, a pœnarum, quæ sponsori Christo impositæ fuerunt, gravitate defumitur. Nam si Christus omnes eas miserias, quæ debitum peccati sunt, omnemque maledictionem, quæ peccatoribus incumbebat, pro nobis in se suscepit; si poenas omnes nobis debitas pertulit, quis dubitet, legitimam exinde deduci posse consequentiam, ipsius satisfactionem fuisse plenam prorsusque perfectam? In eo enim consistit perfectio satisfactionis, si in ea nihil eorum desiderari queat, quæ ad exactam iustitiae regulam præstari debent, sive id ad legum divinarum observationem (1), sive ad poenas peccatis debitas spectet (2). Jam vero Christus non tantum legem divinam in tota vita adimplevit perfectissime, obediens factus patri usque ad mortem (3); verum etiam patiente illud omne tulerit, quod lex denunciabat peccatoribus. Dicitur enim Christus *languores nostros tulisse & dolores nostros baiulasse* (4), i. e. poenas omnes & ærumnas, nobis propter peccata debitas, subiisse, ac baiulando *rigorose*,

(5) Rom. V. 9. 1 Thess. I. 10.

(1) Est hæc activa, quam vocant, obedientia, quam ad satisfactionem ac redēptionem Christi pertinere, Pauli testimonio condōcemur, Gal. IV. 3.

(2) Vocari hæc solet *passiva* Christi obedientia, quæ in pœnarum, quas Christus pro omnibus peccatoribus ultro luit, sufficientissima per solutione consistit.

(3) Matth. III. 15. Phil. II. 5, 6. Ebr. X. 5, 6.

(4) Ref. LIII. 4. coll. Matth. VIII. 17. quem locum ab exceptionibus Socinianorum solide vindicavit FRID. SPANHEMIUS, in *vindisit evangel. opp. tom. II. p. 150. seqq.*

rose, strictissime, sine nulla remissione aut gratuita acceptatione, sustinuisse, & quidem modo ~~inuenimus~~ ^{invenimus} ~~igit~~ ^{et} ~~convenimus~~. Dicitur porro **מְפֻשָׁעֵינוּ מִרְכָּבָה** **vulneratus ex prævaricationibus nostris**, contritus ex iniquitatibus nostris (5). Dicitur, **pa-nam nostram ipsi incumbere**, ut nos pacem haberemus (6). Dicitur queque de illo, quod in similitudine carnis peccatricis missus sit, ut esset **πειραγμός**, **violēta pro peccato** (7), ideoque Deum in eius carne **peccatum damnaſſe** (8), h. e. illud in iudicio suo veluti per damnatoriam sententiam ultione dignum aestimasse, utque iustitiae suæ rigori satisficeret, poenas peccato debitās a Christo, sponsore nostro, repetiſſe. Dicitur denique, quod Christus factus sit pro nobis **κατούσας**, **exſcratio** (9), quam lex minabatur, quamque nos meriti eramus. Ex quibus omnibus luce meridiana clarius adparet, Christum ea omnia adēcute p̄fēſſiſſe, quæ iustitia divina, hominum peccatis infinitum in modum laſa, exigere poterat, adeoque lytrum a redemptore nostro perfolutum sufficientissimum esse perfectissimumque. Et sane, si tantum aliquid pretii dando nos redemitteret servator optimus, atque lytrum, quod ipse solvit, debitum ab humano genere contractum ex se non adæquasset, nulla adferri posset ratio sufficiens, cur Deus proprio filio non pepercit (10); cum, stante dissentientium sententia, vel puri hominis opus, ex favore quodam ac liberalitate, in totius humani generis **λύρην** admittere facile potuſſet.

F 3

§. XXVI.

(5) *Ief. LIII. 5.*(6) *Loc. cit.*(7) Ita enim ebræi utuntur voce **תַּנְתָּחָן**, & LXX. interpretes, **ho-**
fliam piacularēm reddunt per **πειραγμόν**, verb. grat. *Pſ. LX. 7.*(8) Vid. *Rom. VIII. 3.* quem locum egregie illustravit THOMAS
ITTIGIUS, in diff. de condemnatione peccati in carne filii Dei, quæ ex-
stat in eius exercit, theol. p. 597. seqq.(9) *Gal. III. 13.*(10) *Rom. VIII. 32.*

§. XXVI.

Rationi modo adductæ, quæ a *pœnaru*m, quas Christus pro nobis subiit, *gravitate* desumitur, maius accedit pondus, si *naturam* atque *adjuncta* *per pœnorum* Christi, nec non *genus mortis* ab ipso lacæ, paullo attentius consideremus. Scilicet mors, sponsori nostro *inficta*, erat mors a lege denunciata, non vulgaris atque *ordinaria*, sed violenta, ad modum supplicii irrogata, & a Deo ipso maledicta. Erat mors, in qua, præter summam ignominiam atque acutissimos corporis dolores, sanctissima redemptoris anima tantam concepit tristitiam, tantoque cum angore ac metu fuit conflictata, ut angelo corroborante opus haberet, sudorque sanguineus ipsi fuerit extortus (1). Quin eiusmodi erat mors, quæ cum intensissimis mortis *æternæ* doloribus fuit coniuncta, quos Christus corpore & anima iunctis sustinuit, quum se omni consolationis ac luctuæ spiritualis sensu ad tempus exutum atque a Deo derelictum (2) quereretur, seque ad infernum, in quo mors æterna perferri consuevit, detrusum agnosceret (3). Profecto hæc ita comparata sunt, ut nullam aliam legitimam habere queant rationem, nisi in iustitia Dei vindicatrice, exactam perfectamque pro nobis satisfactionem a Christo exigente. Si urgeas, passionem Christi eiusdemque mortem cruentam fuisse actum tantum *finitum* i. e. certo temporis intervallo inclusum; paucis respondemus, passionem mortemque Christi, licet duratione fuerit finita, *infinitam* tamen fuisse valore ex personæ patientis ac morientis dignitate, siquidem ipse dominus glorie, in ipsa sua divina natura in *concreto* consideratus, vere passus & mortuus est; ut proinde eiusdem passio & mors, utat finita, nihilo minus valore suo divino pœnas nobis debitas, duratione licet æternas, quam longissime superet.

§. XXVII.

(1) *Luc. XXII.* 43, 44.(2) *Muth. XXVII.* 45. *Marc. XV.* 34. ex *Pf. XXII.* 2.(3) *Pf. XVI.* 10. *conf. XXX.* 4. & *LXXXVI.* 13.

§. XXVII.

Supereft quartum argumentum, ex iis sacræ scripturæ Iocis defumtum, in quibus sacrificium Christi propitiatorium in ara crucis peractum, propter ~~reliuorū~~ ~~infamiam~~, imperfectis veteris testamenti hostiis non tantum opponitur, sed & iisdem infinitis modis antefertur, quippe quæ imperfekte duntaxat exhibuerunt olim, quod Christus, summus novi testamenti sacerdos, DEO O. M. plenissime obtulit. Christus enim erat ipfemet & sacerdos & victimæ, quippe qui non per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium fanguinem semel in sancta ingressus est, atque ~~auerter~~ ~~argenteum~~ eternam redēptionem impetravit; uti nos condocet apostolus Ebr. IX. 12. Ad quem locum duo cumprimis heic notanda veniunt. Primo, participio ~~euagetus~~, quod in origine græca exstat, hoc innui, quod Christus non tantum operose, sed & iudicialiter redēptionem hanc fuerit consecutus; ut proinde ~~argenteum~~ hæc sit iudiciale obtentum & redēmptio talis, quæ in rigoroso Dei iudicio evicta est & comprobata. Secundo, redēptionem a Christo praestitam heic appellari ~~auerter~~ ~~argenteum~~, partim quia per eandem nobis in peccatum & sic sub iram Dei infinitam & in damnationem eternam prolapsis, absolute infinita & eterna Dei gratia & misericordia est recuperata; partim vero quia hæc ipsa redēmptio in se est absolute infinita & eterni ponderis ac valoris. Atque hæc ipsa procul dubio ratio est, cur apostolus alibi (1) consummationem fidelium Christo redēmptori disertis verbis adscribit. Christus, inquit, unica oblatione ~~argenteum~~ (2) perfecit, seu consummavit, in perpetuum eos, qui sanctificantur. Quid enim aliud innuunt hæc divini scriptoris verba, quam hoc, Christum, summum istum atque absolutissimum novi testamenti pontificem, a sacerdotibus leviticis vet. testamenti, qui, easdem sèpius offerendo victimas, peccata tamen auferre haud poterant, plurimum differre, eosdemque infinitis modis superare,


fiouit

(1) Ebr. X. 14.

(2) Vocabulum hocce ex gentium sacrificiis est petitum, quibus ~~reliuorū~~ dicebantur perfectæ animarum restitutions in integrum.

siquidem unicam duntaxat expiaticem victimam pro nobis obtulerit in cruce, quae vim habeat infinitam, ut & semper sanctificare, h. e. perfecte a peccatis mundare & sanctitatem conferre queat semper duraturam, facta scilicet reatus peccati sublatione. Et quid opus est multis? ipsem Christus, auctor consummatorque salutis nostræ, consummationem redēptionis moriens in cruce peroravit, magna voce exclamans: *redemptus, consummatum est* (3). Nihil enim aliud abbreviato hocce verbo significare voluit servator, quam hoc, defunctum esse omnibus iis, quibus in hac vita defungi debuerit; nihil amplius restare sibi exantlandarum perpeccionum, debitum pro nobis, quod in se prona suscepere voluntate, esse solutum per infinitam solventis potentiam, seque, toto iudicio cœlesti, quo condemnatus erat peccator, per interpositum meritii sui valorem placato, receptam in se hominum liberationem ipso facto & opere consummasse.

(3) *Job. XIX. 30.* Perperam THEOD. BEZA hocce verbum *redemptus per actum est* reddit. Siquidem sensus hic intentioni proferentis propositus est contrarius, observante HANNEKENIO, in diss. cui titulus: *consummatio morientis in cruce servatoris vere representata &c.* cap. I. §. 1. latini enim scriptores *actum est* in malam tempor partem acceperunt; verb. gr. *actum est de republica*: ita & apud TERENTIUM: *actum est*, siquidem hec vera predicit, i. e. nulla amplius spes superest. Ad verbum vero *consummare* quod attinet, ipsem CICERO illud de plena rerum confectione usurpare videtur, lib. I. de officiis. Ceterum nulla ad est sufficiens ratio, *o redemptus*, quod generale est effatum, restringendi vel ad implementum vaticinii Davidici de potu felleo, quod fecit ZACH. BOGANUS, vel impletionem plurium oraculorum, quod alii faciunt interpres; cum illimitatus eiusdem usus exigat, ut ad consummationem totius operis redēptionis humanæ heic respiciamus. Nec obstat huic interpretationi, quod Christus demum post prolatum hocce verbum animam reddiderit, opusque redēptionis consummaverit. Sæpius enim sacra scriptura de rebus certo futuris loqui solet verbis præteriti temporis, ut certitudinem & brevitatem futuritionis atque eventus hac ratione significet Vid. *Job. XVII. 11.* Ponitur proinde heic præteritum pro paulo post futuro, ut *Mattb. XXVI. 28.* alibique,



VI 29

= [Dissertationes theol.
v. 43.]





16

DISSERTATIO THEOLOGICA PRIOR
DE
**REDEMPTIONE
ECCLESIAE
PROPRIO DEI SANGUINE
FACTA**
ad Act. XX. 28.

QUAM
P R A E S I D E

IO. FRIDERICO COTTA
S. THEOL. DOCTORE AC PROFESS.
PUBL. ORD. ILLISTRIS STIPENDII THEOL.
SUPERATTENDENTE
ORDINIS THEOLOGICI
h. t. DECANO

D. AUG. MDCCCLIII.

publice defendent

M. IO. CHRISTOPHORUS SCHÜZ, Bempflingensis,
M. LUDOV. FRIDERICUS HOLLAND, Rosenfeldensis,
M. IO. CHRISTOPH. HENRICUS RUEFF, Alpirspacensis,
SS. Theol. in Seminario Theol. Cultores.

TUB INGÆ, typis CHRISTIANI GODOFREDI COTTAÆ.

